



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

spectare voles. Ducam te, si parentes tui consenserint.

### Antipharmacum.

Ex hoc delirio Lutheri sequitur, non esse verba de futuro; Si dicam: Inuitabo te ad prandium. Donabo tibi decem aureos; nisi quis hanc conditionem addat; Si per unam vel alteram hebdomadem expectare velis: Si parens meus consenserit. At quis tam rudis ac imperitus est qui non videat praedicta verba, etiam sine istius conditionis adiectione esse futuri temporis?

Quæritur XLIX. Vtrum Caluinianus possit duce-re vxorem Catholicam. Respondet Caluinus Epist. 103. ad Sozinum. Cum uxor non alia lege ducenda sit homini Christiano, nisi ut se illi ad omnia pie vita officia adiutricem prestat ac sociam; ubi ab hoc scopo vel minimum aberratur, non dubito, quin virtiosum sit coniugium. Is porro, qui uxorem dicit impiis Papatus superstitionibus adhuc implicitam, quid aliud, quam profanationem in domum suam inducit? Nam, si corpus viri est uxor, excusari certè non potest, qui mulieri se adiungit quotidie ad peruersos cultus se prostituerit; ut ipse quodammodo dimidia sua parte inquinetur. Superse-deo dicere, quod si quis talem ducat uxorem, consecrare malis auspiciis nuptias cogetur.

Item Caluinus Epist. 104. ad eundem Sozimum. Homini Christiano, id est, Caluinistæ, fas esse nego se uxori adiungere, que sit à Christo (hoc est, à Caluinismo, hic enim Caluino Christus est.) aliena. In eo autem numero scimus esse omnes Papistas. Qui licitum sibi esse putat eam accipere, que adhuc multis erroribus tenetur implicita, modò iustitiam in Christo suam querat; non animaduertit, quantis postea in rebus futurū sibi cum illa sit dissidium. Nemo igitur, me auctore

suctore, hoc periculum adibit: quin potius haec mea sententia est, nec pie, nec in Domino matrimonium contrahere, qui aliam sibi sociam adsciscit, quamquam que diuortium prius cum Papa fecerit.

Quæritur L. Num Caluinistæ cum Catholica persona matrimonium censeri debeat ratum an irritum? Proposuerat Caluino hanc quæstionem Lælius Sozinus; quia Caluinus videbatur tale matrimonium non modò ut illicitum, sed etiam ut inualidum damnare. Respondet Caluinus. Sicuti mutuus utriusque partis consensus requiritur, ut ritè Dei nomine & auspiciis consecrentur nuptiae: ita si quis ab officio declinet, non definit tamen legitimum esse coniugij vinculum, quo alter alteri obligetur. Leuitatem meritò quidem improbabit, fidem tamen datam non soluit.

### Antipharmacum.

Hæc quæstiones cum responso Caluini proponere volui, ut rubor incutiatur nonnullis Catholicis, qui tam facile vel ipsi contrahunt, vel alios contrahere matrimonia cum hæreticis sinunt, cum Caluinus tam rigidus fuerit, ut nullo pacto suos cum Catholicis conubio iungi voluerit; sed verum est illud Domini:

*Filios huius seculi esse prudentiores in generazione sua filii lucis.*



APPEN-